

REVERCHON! 1891). Variat pappo aureo (pr. Campillo in Serrania de Cuenca, DIEK).

Observ. Planta Javalambrensis fortasse ad L. Reverchoni FREYN pertinet.

1757^{bis}. **Leontodon nevadensis** LGE. Diagn. I, p. 11! „Pedalis v. ultra, foliis rosulatis, anguste et elongato-lanceolatis, in petiolum alatum decurrentibus, remote sinuato-dentatis; scapo adscendente, semel v. bis trichotomo, ramis arcuato-adscendentibus, basi folio minuto subulato et sub calathio squamis 2 parvulis adpressis fultis, superne incrassatis; calathio minuto, cylindrico-campanulato, anthodii squamis viridibus, albo-marginatis, nervo dorsali hispidis; ligulis luteis concoloribus, stylis luteis; achaeniis pallide fuscis, breviter rostratis, infra rostrum leviter transverse rugosis, pappi sordide albi radiis c. 10 basi dilatatis, caducis.“

In Sierra Nevada (MAN. JIMENEZ 1873, ad fontes fl. Dilar, WINKL. 1876). —

4. Aug., Sept. (n. v.).

1758. **Leontodon autumnalis** L. γ . minimus DC. Etiam in Sierra de Peñagolossa regni Valent. (REVERCH. 1891).

1760. **Leontodon Taraxaci** LOIS. Provenit quoque in Cantabr. (Guipuzc., in Peña Aizcorri alt. 1450 m, BARBEY, 1883).

1761. **Leontodon pyrenaicus** GOU. Etiam in montibus Cantabriae (Guipuzc., in Peña de Aizcorri, BARBEY, 1883).

1761^{bis}. **Leontodon Reverchoni** FREYN subsp. nov. ined. „Radice truncata, scapo monocephalo plus minus bracteato, calathiis ante anthesin nutantibus et alveolorum marginibus nudis affinis L. pyrenaico, a quo differt habitu, foliis profunde runcinato-pinnatifidis, calathiis albo-villosis (nec tomentellis et nigro-villosis) achaeniis longius rostratis et pappo uniseriali. Ligulae extus rubro-striatae.“ (FREYN.) Duae existunt formae:

α . subglaber FREYN. „Planta saepe pedalis, foliis et scapis glabris v. subglabris.“

In Aragon. australi (Sierra de Camarena, in humidis, REVERCHON 1892, exs. s. nom. L. carpetani). Habitus L. autumnalis.

β . hispidus FREYN. „Scapi basi et folia praesertim subtus ad nervos molliter hispida. Planta humilis, habitu formae alpinae L. hispidi L.“

In Aragon. australi (Sierra de Javalambre, raro, REVERCH. 1892). — 4. Jun. (n. v.).

1762. **Leontodon hispidus** L. α . vulgaris BISCH. forma crispata (GR. GODR.) foliis argute dentatis, crispatis, hispidissimis: in Catalaun. (in pratis Pyrenaeor., pr. N. S. del Mont, Monseny en las Agudas, c. S. Miguel Solterra, VAYR.).

1762^{bis}. **Leontodon Villarsii** LOIS. Fl. gall. ed. 1, p. 514; GR. GODR. l. c. II, p. 300! (Apargia Villarsii WILLD.). Rhizomate verticali v. obliquo, subfusiformi, aut truncato ramoso, scapo glabro apice bracteolato, monocephalo; foliis pinnatifidis, valde hispidis, canescentibus, pilis rigidis simplicibus, raro bifurcis; calathiis ante anthesin nutantibus, floribus pallide luteis.

In Pyren. Aragon. et Catalaun. (inter Bassivé et Castanesa, TIMBAL, in ditione oppidi Olot, BOLÓS). — 4. Jul. (n. v.).

Hab. in Pyren. oriental. et Gall. austro-orientali.

1764. **Leontodon Bourgaeanus** WK. Occurrit etiam in Sierra de Javalambre Aragon. (REVERCH. 1891).

1765. **Leontodon hispanicus** MÉRAT. Crescit etiam in Navarra (pr. Caparoso en el Sabinar abund., CASAV.).

Adde: β . psilocalyx WK. Oesterr. bot. Zeitschr. 1891, n. 1: anthodio glabriusculo, foliis multo minoribus quam in typo, hispidis.

In prov. Gadit. (pr. Algeciras, WINKL. 1873).

1767. **Picris hieracioides** L. Provenit quoque in Navarr. (pr. Betelú, CASAV.) et in prov. Gadit. (pr. S. Roque, DAUTEZ).

1768. **Picris longifolia** BOISS. REUT. Occurrit etiam in Aragon. australi (pr. Peñarroya, LOSC!).

? 1768^{bis}. **Picris erophila** TIMB. LAGR. in Mem. des sc. phys. et nat. Toulouse 1870, p. 93! (P. tuberosa LAP.). Caule ramoso, inferne nigro-setoso, foliis